



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LXXXI. Consideratur labor & dolor crucifixi Jesu, quem pro salute nostra usque ad finem fortiter sustinuit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO XCI.

Consideratur labor & dolor Crucifixi JE-
su, quem pro salute nostra usque ad finem
vitæ sustinuit.

*Quærens me sedisti lassus:
Redemisti, crucem passus:
Tantus labor non sit cassus.*

Eccles. in mis-
sa defunct.

1.

AD Adam quondam dictum est: *In sudore vultus tui vesceris pane.* Gen. 3. 19.
Christus Adam secundus & melior per omnem vitam in la-
bore & sudore panem suum manducare voluit: *Mittamus li-* Jerem. 11. 19:
gnum in panem ejus. O durus & arctus panis!

Noë multo labore & dolore suam construxit arcam, in qua sal-
varetur genus humanum: *Fac tibi arcam de lignis lavigatis.* Plus pretiosif- Gen. 6. 14.
simus Salvator noster laboravit in construenda arca, extra quam est
nulla mundo salus, hoc est in ædificanda Ecclesia sua, extra quam sal-
vari nemo potest; unde in patrem nutricium fabrum lignarium ele-
git, ut quotidie in conspectu suo haberet instrumenta laboris & pas-
sionis.

David de se ipso ait: *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea.* Psal. 87. 16. |
Hoc passim SS. Patres Christo in sensu allegorico applicant, pauper
enim erat & in laboribus à prima infantia, pauper in stabulo, pauper
in fuga in Ægyptum, pauper in exilio ibidem per septem annos, pau-
per in reditu in terram Israel, pauper in domo Josephi, cui erat sub- s. Basil. in
ditus; unde S. Basilus: *Cum prima sua ætate parentum suorum imperio esset constit. me-*
subiectus, & labores corporis omnes unà cum ipsis, animo illis obediens, toleravit. nalt. c. 5.

2. Jacob Patriarcha, ut formosam Rachel in sponsam sibi acqui-
reret, nullum horrebat laborem: *Dienoctūque astu urebar & gelu, fugiebat* Gen. 31. 40.
somnus ab oculis meis. Plus Christus pro sponsa sua Ecclesia perpeffus est,
pro cujus salute se ipsum tradidit in ara crucis immolandum, unde Pau-
lus: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Gal. 2. 20.

Uu 3

Da-

David contra urfos & leones pugnavit, ne aliquam ex suis perderet oviculis, unde ad Saul Regem dixit: *Leonem & ursam interfeci ego servus tuus. Erit igitur & Philistaeus hic incircumcisus quasi unus ex eis.* Christus, ut suas rationales servaret oviculas, easque ex ore leonis & urfi infernalis eriperet, se ipsum in mortem tradidit, *mortem autem crucis.*

3. Multum laboravit Jonathas, ascendens per praerupta rupis saxa ad castra Philistinorum confundenda: *Ascendit autem Jonathas manibus & pedibus reptans, & armiger ejus post eum,* ubi cruentam pugnam habuit, & mirabilem ab hoste victoriam reportavit. Plus laboravit Christus ascendens cum cruce per Calvariae rupem ad debellandum Tartareum hostem, hujus armiger Simon Cyrenaeus fuit, qui Christo sub tanto onere deficienti auxiliatricem manum adhibuit, dum ad portam Judiciariam in terram prolapsus est. Tanti nimirum ponderis erant peccata nostra, quia *posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.*

Isa. 53. 6.

4. Magno ac summo labore ab urinatoribus in Sinu Persico quaeruntur gemmae ac margaritae, qui vecti cymbis in profundum maris & usque ad abyssum per funem sese demittunt, & in aquis inter scopulos hinc & inde discurrentes tam diu quaerunt, donec plures conchas, in quibus delitescunt uniones & margaritae, inveniant.

Et quid fecit pientissimus orbis Servator Christus? Erat perdita una pretiosa margarita ac gemma pretii prorsus inestimabilis (Anima hominis) descendit hic de caelo, ut eam inveniret in terra, imò in profundum maris hic divinus Urinator se demisit, ubi in maxima dolorum tempestate naufragium fecit: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Et quemadmodum naufragus sibi de ligno circumspicit, quo mediante ad littus possit evadere salvus: Sic & mitissimus Dominus lignum crucis in cruento illo passionis naufragio apprehendit, in quo ille quidem periit, sed nos per illud salvati sumus.

Psal. 68. 3.

5. Collige ex hoc, anime mi, aliquam doctrinam moralem, quantum pro te laboraverit Crucifixus Jesus; & tu habes manum aridam, quia negligis operari, quae Dei & tuae Salutis sunt? Servus ille Centurionis in domo jacebat paralyticus, & tu es spiritualiter paralyticus, hoc est languidus & ad divina piger obsequia? Ad Petrum ac caeteros discipulos in monte Olivario dormitantes Christus dicebat:

Matth. 12. 10.

Matth. 8. 6.

Matth. 26. 40.

Luc. 5. 5.

S. Chrysostr.

ho. 13. in ep.

ad Phil. c. 3.

Sic non potuistis unam horam vigilare mecum? Vigilarunt illi prius pro lucro temporali per totam noctem in remigando & piscando, & tamen nihil ceperunt. Nunc cum pro caelo laborandum esset, dormitant omnes; Audi os Aureum: Nihil, inquit, est, quod adeo sit inconcinnum & alienum à Christiano; utque requiem & recreationem quaerere, & ad praesentem vitam nimium affici, alienum est à professione & militia nostra. Dominus tunc

crucifixus est: & tu requievi quæris? Dominus tuus affixus est, & tu deliciaris?
hæcine sunt militis generosi?

6. Cæterum res miseranda pati naufragium, & inter decumanos in irato pelago perire fluctus, ubi omnes in diffracta nave fortem suam deplorantes opem Dei lacrymabili voce implorant. Ita factum est tempore Jonæ Prophetæ, ubi Dominus misit ventum magnum in mare: *Jonæ I. 4.* Et facta est tempestas magna in mari, & navis periclitabatur conteri: Et timuerunt nauta, & clamaverunt viri ad Deum suum.

Ita Christus patiens in naufragio vitæ suæ: *Laboravi clamans: rau. Psal. 68. 4.* ta facta sunt fauces meæ. Desecerunt oculi mei, dum spero in DEum meum. Clamavit circa horam nonam voce magna: *Deus meus, Deus meus, ut Math. 27. 46.* quid deliquisti me. Clamavit rursus voce magna, dum emisit spiritum: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum: Et quidem voce magna cla- Luc. 23. 46.* mavit arente palato, quia de suo corpore in passione multos emisit humores, per sanguineum sudorem, per cruentam flagellationem, per spineæ coronæ impositionem, per clavorum transfixionem. O qualis erat ille labor & dolor morientis in cruce JESU!

Clamavit & David pœnitens, sed præ horrore peccatorum suorum, in quo ostendit se ex animo de admisis dolere noxis: *Laboravi, Psal. 6. 7.* inquit, in gemitu meo: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis fratrum meum rigabo.* Ecce dolor internus non duntaxat se prodit in gemitu, sed & lacrymis. O Christiani! quid nos oportet facere, ut condignos possimus facere pœnitentiæ fructus? Scio remedium. Non obstantibus delictis nostris adrepamus fidenter ad crucifixum JESUM, non jam fulmine armatum, sed undique vulneratum, & exclamemus contriti ac gementes: *Parce nobis Domine, qui ut sanaremur vulneratus es, qui ut viveremus mortuus es, & mortuus es in cruce? O amor, ô amor! DEUS in ligno pro homine in ligno? O amor, ô amor! Dicat qui potest, & explicet nobis divinum istum amorem, ego non possum, ah non possum. Interim fluite lacrymæ meæ, quia omnium istorum fui causa laborum & dolorum. O pientissime JESU!* *Quærens me sedisti lassus: Redemisti, crucem passus; tantus labor non sit cassus.*

7. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor *Thren. I. 12.* sicut dolor meus. Sanchez vir illuminatissimus existimat hoc esse epithaphium, quod Propheta Threnologus Hierosolymæ in suo busto, in quo ipsa tunc jacebat sepulta, incidi jussit? unde viatores & hospites per illam viam transeuntes allocutus est, ut dolorem suum dolendo, & informe hoc bustum videndo solarentur.

Verum S. Mater Ecclesia in hebdomade majori hoc crucifixo JESU & SS. Matri ejus Dolorosæ applicat: Ah qualis labor & dolor in corde

Psal. 30. 11.

corde utriusque! *Defecit, ait moriens IESUS, in dolore vita mea, & am-
mei in gemitibus, & afflictissima Mater ac Virgo: O fili mi, quis mihi det ut
moriar pro te.* An hic est Filius meus & Deus meus? DEUS qui inter
Cherubinos sedet, nunc, ut malefactor pessimus, pendet inter infames
latrones? DEUS qui tribus digitis appendit molem terræ, nunc in sum-
mis doloribus moritur in cruce? O mœstissima Matrum! O Mater
dolorum, *ô Fili Bennoni, date omnibus qui amant vos, & hujus dolo-
ris & amoris meminerint, in suo ab hac mortali vita discessu, lætitiã
sempiternam.*

Gen. 40. 11.
Hugo, Card.
hic.

8. Pincera ille Regius in Ægypto bonum signum ac felix somni-
um habuit, dum illi videbatur, quòd in calicem Pharaonis uvas ex-
presserit, & hoc poculum ei tradiderit: *Tull ergo uvas, & expressi in cali-
cem.* Supra quod Hugo Cardinalis: *Tunc in calicem uvas exprimimus, quan-
do per memoriam Passionis Christi dilectione afficimur.* Et quis, obsecro, non
aliquo amore afficiatur erga talem ac tantum Redemptorem, & erga
talem ac tantam Matrem? *Adhareat lingua mea faucibus meis, si non
meminero tui, ô JESU! ô MARIA!*

Psal. 136. 6.



CONSIDERATIO XCII.

Christus Crucifixus, Deus totius conso- lationis, qui consolatur nos in omni tribula- tione nostra.

*Sicut abundant passionis Christi in nobis, & per Christum
abundat consolatio nostra. 2. Cor. 1. 5.*

I.

Apoc. 10. 9.

SAncto Joanni Evangelistæ in Pathmo exuli ab Angelo porrectus est
liber, ut eum devoraret: *Accipe librum, & devora illum, & faciet
amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanquam mel.* Liber
iste dulcis & amarus Christum IESUM & hunc Crucifixum præ-
signavit. Amarus quidem tibi primâ fronte videbitur, sed si
illum bene per seriam meditationem degustaveris, videbitur tibi dul-
cis